SOLENNIA ANNIVERSARIA

In

GYMNASIO REGIO LUDOVICIANO

RITE CELEBRANDA

INDICIT

Dr. FRANCISCUS OELSCHLAEGER,
RECTOR ET PROFESSOR.

Insunt Lectiones Euripideae.

SUEVOFURTI, MDCCCXLIX.

ONOLDI EX OFFICINA BRUEGELIANA.

I. Orest. 902. *Κἀπὶ τῷδ' ἀνίσταται*
ἀνήρ τις ἀθυρόγλωσσος, ἰσχύων θράσει,
Ἀργεῖος οὐκ Ἀργεῖος, ἠναγκασμένος
θορύβῳ τε πίσυνος κἀμαθεῖ παῤῥησίᾳ,
πιθανὸς ἔτ' αὐτοὺς περιβαλεῖν κακῷ τινι.

Non decerno, an poeta hac venustissima *δημηγόρου* descriptione Cleophontis Thracis delineaverit personam. *Ἀργεῖος οὐκ Ἀργεῖος* dictum est ut *Ἀχαιΐδες οὐκέτ' Ἀχαιοί* Hom. Iliad. 2, 235. *σὰ δ' ἔρις οὐκ ἔρις* Phoen. 1503. *λέαιναν οὐ γυναῖκα* Med. 1342. *γυναῖκά τ' οὐ γυναῖκα* Soph. Oed. T. 1256. quod oxymori genus quam variaverint Graeci et ampliaverint, longum est enarrare. Idem autem versus Valckenaerio propter voc. *ἠναγμασμένος* spurius. Neque immerito. Omnia enim reliqua demonstrant oratorem illum non coactum dixisse, sed promtissimum accusasse reos Orestam et Pyladem. Sed ni fallor grave mendum, quod sententiam afflixit, amoveri potest, si scribitur *ἐσκευασμένος*, i. e. ab adversariis reorum subornatus. Poeta simplici verbo usus est, compositum *παρασκευάζειν* plane eadem potestate Attici oratores frequentaverunt.

II. Alcest. 400. *Ὑπάκουσον, ἄκουσον, ὦ μᾶτερ, ἀντιάζω σ'*
ἐγὼ, μᾶτερ, ἐγὼ καλοῦμαί σ'
ὁ σὸς ποτὶ σοῖσι πι —
τνῶν στόμασιν νεοσσοῖς.

Ita in Codd. verba Eumeli Alcestidis matris mortem deplorantis sunt scripta; *νῦν γε*, quod in Florent. repertum est, Lascaris inseruit, ut metrum compleretur, quod ex antistropha cognoscitur. Cum antistropha hi versus ut concinant, ita videntur emendandi esse:

ὑπάκουσον, ἄκουσον, ὦ μᾶτερ, ἀντιάζω σ'
ἐγώ σ' ἐγώ, μᾶτερ,
ὅς γε καλοῦμαι ὁ σὸς, ποτὶ
σοῖσι πιτνῶν στόμασιν νεοσσοῖς.

Etiam quae mox sequuntur lacera et lacunosa sunt, quae ex parte haud inani opera explere posse spero. Leguntur inde a v. 406.

Νέος ἐγὼ, πάτερ, λείπομαι φίλας
μονόστολός τε ματρός· ὦ
σχέτλια δὴ παθὼν
ἐγὼ ἔργα . . . σύ τε
σύγκασί μοι κέρα,
. . . συνέτλας
. . . ὦ πάτερ
ἀνόνατ' ἀνόνατ' ἐνύμφευσας.

Post ἐγὼ ἔργα reponi licet τλάμων, sed fidem interponere non ausim, in tertia lacuna, scriptum fuisse: καὶ σὺ, πάτερ, ὦ πάτερ. Ad vocem σύ τε superest scholion: ὡσεὶ ἔλεγε συνόμαιμε, συνάδελφε, τοσαῦτα ἔτλης ὅσα ἐγὼ, unde conjicio τοσάδ' ἄχεα συνέτλας· coll. Phoen. 1515. τίς — ἔτλα κακῶν τοσῶνδ' αἵματος ἁμερίᾳ τοιάδ' ἄχεα φανερά;

III. Troad. 869. Ἥκω δὲ τὴν Λάκαιναν, οὐ γὰρ ἡδέως
ὄνομα δάμαρτος ἥ ποτ' ἦν ἐμὴ λέγω,
ἄξων,

inquit Menelaus. Pro Λάκαιναν in Havn. et aliis est τάλαιναν. Quamquam Euripides haud paucis locis nec Lacedaemoni nec Menelao pepercit, tamen dubitare licet an partium studio tantum permiserit, ut Menelaum, ipse qui sit Lacedaemonius, popularium nomine tanquam convicio quodam in uxore fecerit abutentem. Jure suo hoc convicio usi sunt Troadum chorus Hecub. 650. et Hecuba ibid. 441. Aliis locis sine malignitate Helena ἡ Λάκαινα appellatur, ut Orest. 1439. Troad. 34. Credibilene est igitur, poetam dicere voluisse unam Lacaenam e graecis mulieribus apud Trojanos habitasse et nunc jam captivam duci? His rationibus adducor, ut codd. scripturam τὴν τάλαιναν i. e. improbam, quod vocabulum irascentis mariti orationi optime convenit, revocandam esse censeam.

Alios subjungam locos, quibus circa nomina mihi videtur a librariis pecatum esse (III. IV. V. VI. VII.)

IV. Bacch. 135. Ἡδὺς,' ἐν οὔρεσιν εὖτε
ἐκ θιάσων δρομαίων
πέσῃ πεδόσε νεβρίδος ἔχων
ἱερὸν ἐνδυτὸν, ἀγρεύων
αἷμα τραγοκτόνον ὠμοφάγον χάριν,
ἱέμενος εἰς ὄρεα Φρύγια, Λύδια.

Guil. Dindorfius in libro, quem scripsit de metris Aeschyli etc. p. 243. ultimi versus metrum idem fuisse putat ac v. 157—164 i. e. duorum paeonum totidemque dactylorum et Euripidem vocabulum Φρύγια prima syllaba producta posuisse recte negat. Neque Homerus vel Aechylus Suppl. 543. vel Sophocles Ajac. 210. Ant. 824. vel Pindar. Nem. 3, 60. ed. Schneidew. ubi

eadem nomina composita sunt, produxerunt. Suspicor Euripidem *Δίνδυμα*, quod nobilissimum Phrygii montis nomen ad conjunctionem historiae et sacrorum Cybelae et Bacchi pertinet, interpretem memorem fortasse v. 23 sq. *Φρύγια* scripsisse. Id in contextum verborum eo facilius a librariis receptum est, quia Phrygtae terrae nomen cum *Λύδια* vocabulo rectius concinere videbatur.

V. Helen. 1590. *Πάλιν πλέωμεν Ναξίαν· κέλευε σύ,*
clamant Aegyptii nautae, ubi persentiscunt fraudem Menelai, qui in navi a Theoclymeno sibi
να
permissa Helenam ex Aegypto abducturus est. Par. A et B *ἀξίαν*. Splendide ut assolebat immortalis praesul et arbiter artis conjecit *πάλιν πλέωμεν, ἀξιῶ'· γκέλευε σύ.* Praefiscine, ut Plautus ait, hoc nunc dixerim: non satis mihi probatur, non nominari quem nautae appellant. Malim scribere: *πλέωμεν, ὦ ξέν'· ἄγε κέλευε σύ,* quum in codd. scriptura glossam *ἄναξ* i. e. Menelae! latere minime dubitem. Iam antea v. 1579. gubernator navis eum appellaverunt *ὦ ξένε, ἄνακτα* vero non potuerunt, quippe qui quis esset, apud Theoclymenum dissimulasset.

VI. Elect. 22. *Δείσας δὲ, μή τῳ παῖδας Ἀργείων τέκοι*
Ἀγαμέμνονος ποινάτορας, εἶχεν ἐν δόμοις
Αἴγισθος οὐδ' ἥρμοζε νυμφίῳ τινί.

Medio versu Piersonus conjecit *ποινήματ'*, Fixius *ποινάματ'*; quod si Euripides scripsisset, nescio an non interpres, qui *ποινάτορας* apposuit, potius *τιμωρὸς*, ut Hesychius illud interpretatus est, quam *ποινάτορας*, quod v. 268. iterum legitur, explicuisset.

Sic verisimile mihi videtur, scriptum a poeta fuisse *ποινάτορας τοῦ πατρὸς εἶχεν ἐν δόμοις.* Articulum adjectum puta, ut non Electrae liberorum pater, sed Agamemno intelligatur, cujus supra aliquoties mentio est facta. Hoc ipsum, ne patres confunderentur, fortasse in causa fuit, cur interpres adscriberet *Ἀγαμέμνονος*. Majorem autem vim esse in *τοῦ πατρὸς* quam in nomine Agamemnone, intelligi facile potest ex Aesch. Agam. 1253. *ἥξει γὰρ ἡμῶν ἄλλος αὖ τιμάορος μητροκτόνον φίτυμα, ποινάτωρ πατρὸς,* et tragicorum lectori non opus est pluribus demonstrari.

VII. Elect. 162. *Οὐ μίτραισι γυνή σε*
δέξατ' οὐδ' ἐπὶ στεφάνοις·
ξίφεσι δ' ἀμφιτόμοις λυγρὰν
Αἰγίσθου λωβὰν θεμένα
δόλιον ἔσχεν ἀκοίταν.

Postremos versus interpretari solent, Clytaemnestram occiso conjuge contumeliam fecisse Aegistho, quem habebat adulterum. Haec sententia non offenderet, si Aegisthus puras servasset manus; sed poeta saepius memorat, Agamemnonem a Clytaemnestra et Aegistho esse trucidatum, cf. v. 9. sq. 319. 763. et in eadem fabula vix potuit a vulgata fama (cf. Hom. Odyss. 21, 409 sq. al. Aesch. Agam. 1586. Soph. Elect. 97.) quam semel erat secutus, rursus discedere. Non vereor igitur ne ipsum Euripidem corrigerre videar si *Αἰγίσθου* (*Αἴγισθον*) male in

versum illatum esse et, si quidem licet lacunam explere, expulisse *πόσιν ἑὸν* suspicor. Contumeliam Agamemnoni ab uxore factam esse plorat, ut ex multis argumentis pauca afferam, Electra Orest. 17. *Ἀτρέως δὲ - ὁ κλεινὸς, εἰ δὴ κλεινὸς Ἀγαμέμνων ἔφυ* et in cognonimi Sophoclis fabula v. 98. ubi adulteros dicit Agamemnonis caput securi cecidisse, *ὅπως δρῦν ὑλοτόμοι.* In eadem fabula v. 486. chorus caedem ejus *αἰσχίσταις ἐν αἰκίαις* factam esse censet. Contumelia scilicet illa cum in scelere Clytaemnestrae conjugis, tum in dolo est posita, quem Aeschylus dicit Cho. 617. *γυναικοβούλους μήτιδας φρενῶν ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ.*

His accedant tres loci ex Aeschyli tragoediis.

A. Aesch. Prom. 186. *Οἶδ' ὅτι τραχὺς καὶ παρ' ἑαυτῷ*
τὸ δίκαιον ἔχων Ζεύς· Ἀλλ' ἔμπας οἴω
μαλακογνώμων
ἔσται ποθ', ὅταν ταύτῃ ῥαισθῇ.

Fuerunt qui v. 2. varie corrigentes retinere vellent *οἴω*, formam Atticis omnino non usitatam. Wieselerus Ephem. Halens. 1845. p. 102. *Ζεύς* glossam esse vidit, quam adjici necessarium opinor visum est interpreti, cui ad perspicuitatem orationis, quae v. 185. praecedunt, *κέαρ ἀπαράμυθον ἔχει Κρόνου παῖς*, non sufficerent. Fortasse est emendandum *ἀλλ' οἶδ' ἔμπας*. Idem verbum exiguo intervallo repetitum Aeschyli lectorem non offendet.

B. Aesch. Sept. 814. *Ὦ μέλαινα καὶ τελεία*
γένεος Οἰδίπου τ' ἀρὰ,
κακόν με καρδίαν τι περιπίτνει κρύος.

Quum viderem *ἀρὰ* apud tragicos cum genitivo, quem vocant objecti vel cum adjectivo, quod ejus locum et vim teneat, nunquam conjungi, et diras a genere et Oedipo vel a genere Oedipi dictas parum recte dici posse, conjeci scribendum esse *Πέλοπος Οἰδίπου τ' ἀρά.* Pelops enim propter Chrysippum a Laio raptum, deinde Oedipus iratus filiis suis totum Laidarum genus execrationibus perdiderunt. Praeterea non casu factum crediderim, ut in argumento I. hujus fabulae p. 89. Well. coll. Eur. Phoen. argum. e. cod. Guelf. descripto p. 5. ed. Herm. Chrysippi raptus et quae inde evenerint, sedula cum diligentia sit expositum.

C. Aesch. Suppl 66. *Τὼς καὶ ἐγὼ φιλόδυρτος Ἰαονίοισι νόμοισι*
δάπτω τὰν ἁπαλὰν νειλοθερῆ παρειὰν
ἀπειρόδακρύν τε καρδίαν.

Schützius *Ἰαονίοισι νόμοισι* putavit *τὸ γλαφυρὸν τῶν νόμων* significare, ut Lucianus Phrygio modo *τὸ ἔνθεον*, Lydio *τὸ βακχικὸν*, Dorio *τὸ σεμνὸν* tribuit. Non probabile est chorum suos modos scitos vel elegantes vel molles dicere. Stanleius, ut scholiastes, graecos modos intellexit, quod duabus de causis non satis placet. Nam ubi Aeschylus in Persis Jones pro Graecis videtur posuisse, ibi Atheniensium, qui olim Jones nomen habebant, honori dedi, ut hoc nomen substitueret graeco, quia bello Persico *τὰ ἀριστεῖα* erant consecuti. In Athenarum enim laudem tragicus illam tragoediam scripsit. Neque jure mihi opponi posse spero Hesychium, qui haec habet: *Ἴωνες. Ἀθηναῖοι. Οἱ Ἴωνες ἀπὸ Ἴωνος, καὶ οἱ ἄποικοι αὐτῶν.*

Ἔνιοι δὲ καὶ τὲς Θρᾶκας καὶ Ἀχαιὲς καὶ Βοιτὲς, Ἕλληνας. Cf. Suid s. v. *Ἰωνικός.* Deinde mirari me profiteor, si Aeschylus h. l. choro Danaidarum Aegyptiarum graecos modos attribuit, reliqua fabula operam dedit, ut ejus sermonem peregrino quodam tingeret colore; cf. Bamberger. in Ephem. archaeol. 1839 p. 881. Solent vero tragici vocum et cantus peregrinitatem significare, qua de re cf. Herm. ad Eur. Phoen. p. XIII. Addo Eur. Orest. 1386. Aesch. Suppl. 951. Quid vero, si etiam scriptura, quam Spanhemius se in aliquot codicibus reperisse dicit, *ἀηδονίοισι*, propterea quod comparatio lugubris Philomelae proxime praecessit, recipienda non videatur? Hoc enim vocabulum si quidem fuit in codd. illis aliunde quod sciam non iterum inspectis, glossam esse non dubito, qua chori modos tristes esse significaretur, ut patet ex Herychio: *Ἀηδόνων* (scr. *ἀηδόνιον*) *ἐπὶ μὲν ὕπνε τὸ ἐλάχιστον, ἐπὶ δὲ λύπης τὸ σφοδρότατον* et Aesch. fragm. in Beckk. Anecd. p. 349, 7. *Θρηνεῖ δὲ γόον τὸν ἀηδόνιον.* Praeterea huic scripturae deest ceterorum omnium librorum auctoritas. Eundem vero sensum Aeschylus exprimere potuit, si scripsit *ἐν Ἰονίοισι νόμοισι* i. e. modis, quos Jo infelix infelicis generis proavia quasi invenit et posteris tradidit vel lugubribus. Notum est, quantam formularum copiam translatio nominum propriorum, ut *Θυέστης, Κάδμος, Γοργω* al. procreaverit. Denique si quis vulgatam interpretari malit g r a e c o m o r e de planctu, n o n g r a e c i s m o d i s, is quaeso videat, an sententia g r a e c o m o r e t e n e r a m g e n a m l a c e r o carminis contextui magis conveniat; quanquam non ignoro, chorum per totam tragoediam studiose id agere, ut omni modo Argivorum regi graecum suum genus probet.

VIII. Helen. 385. *Ἁ μυρφᾶς θηρῶν λαχνογυίων*
ὄμματι λάβρῳ σχῆμα διαίνεις.

Hermannus haec emendavit, conjungens *μορφᾶς σχῆμα* et *ὄμμα λάβρον* de uberibus lacrimis interpretans. Quod in Par. A est: *ἁ μορφὰ* (suprascripto *ἁ* — *φὰν* et in marg. *ἴσως;* Par. B *ἁ μορφᾷ*) servari potest coll. Tro 190. *πᾶ πᾶ γαίας δελεύσω γραῦς ὡς κήφην, δειλαία νεκρᾶ μορφά.* Ipse articulus *ἁ* pro pronomine *ἃ* scriptus confirmat, in archetypo fuisse *μορφά.* Deinde *ὄμματι λάβρῳ* nihil potest aliud significare quam o c u l o r a p a c i vel ut Fixius versione expressit t r u c i.

IX. Helen. 1089. *Παρῇδί τ' ὄνυχα φόνιον ἐμβαλῶ χροός.*

Interpretes *φόνιον χροὸς* conjungunt, ut sit u n g u e m c o r p u s l a c e r a n t e m; bene, si *φόνιος* a *φένω*, non a *φόνος* est deductum. Aut *παρῇδι χροὸς* conjungendum est, quod nescio an cuiquam probari possit, ant legendum *χροΐ.* Geminatus dativus est notum dicendi genus, cf. Bach. 619. Herc. fur. 401. Soph. Aj. 230. 310. Oed. C. 1318. — Similiter qui Helen. 1102. *τί ποτ' ἄπληστος εἶ κακῶν, ἔρωτας ἀπάτας δόλιά τ' ἐξευρήματα ἀσκᾶσα φίλτρα θ' αἱματηρὰ δωμάτων* comparaverit cum Tro. 52. *αἱ γὰρ συγγενεῖς ὁμιλίαι — φίλτρον οὐ σμικρὸν φρενῶν, δωμάτων* neque ad *αἱματηρὰ* referendum neque corrigendum esse existimabit, sed id adjectivum proleptico quodam modo intelliget, ut 'philtra sint cogitanda, quae familias amore conjungunt, mox caedis causae sint.

X. In Aeoli fragmento, quod legitur apud Schol. Arist. Pac. 113. *ἆρ' ἔτυμον φάτιν ἔγνων Αἴολον εὐνάζειν τέκνα φίλτατα* (N. 26.)*) non solum librorum scriptura est varia, sed etiam *εὐνάζειν* praeter consuetudinem tragicorum videtur usurpatum esse. Et scripturae varietas haec est: Cod. Ven. *ἆρ' ἔτυμος φάτειν* et *Αἴολε*, Rav. *εὗρον* pro *ἔγνων* omissis *ἆρ' ἔτυμον* et *Αἴολον*. *Εὐναζειν* autem verbum, quod h. l. necessario significat in matrimonio collocare, si quis usu Homerico vel Hesiodeo confirmare et explicare velit, rem opinor non conficiat, ita ut tragici testes sint excitandi. Apud Aeschylum *εὐνάζειν* non legitur; apud Sophoclem aut proprio sensu aut translato pro *κοιμᾶν* (cf. Ellend. Lex. s. v.) Ipse Euripides id verbum protulit proprio sensu Orest. 152. translato Rhes. 762. Tum comparandi cunt hi loci: *γάμοις Ἰάσων βασιλικοῖς εὐναζεται* Med. 18. *ἀπήνεγκεν βρέφος εἰς ταὐτὸν ἄντρον οὗπερ εὐνάσθη θεῷ Κρέουσα* Jon. 17. *κρυπτόμενον*, inquit Creusa Joni, *λέχος εὐνάσθην*, ib. 1484. *μνησθεὶς ὅ μοί ποτ' εἶφ', ὅτ' εὐνάσθην θεῷ, αὐτῷ τι χρῆζον ἐν* Phaetn. fragm. 5. e quibus unus Med. 18. verbis *εὐνάζεσθαι γάμοις* veri matrimonii habet notationem et satis demonstrat, huic quoque fragmento reddendum esse vocabulum *γάμοις*. Pro *ἔγνων*, quod non simpliciter comperi, sed intellexi, cognovi significat, neque aptum est interrogationi, qua de veritate famae (*ἔτυμον φάτιν*), non de perlata fama quaeritur, et pro *εὗρον*, quod nullo modo explicari potest, malim *ἄϊον*, coll. Hec. 177. *ὡς εἰδῇς, οἵαν οἵαν ἀΐω φάμαν περὶ σᾶς ψυχᾶς*, et Jon. 507. *οὔτ' ἐπὶ κερκίσιν οὔτε λόγοις φάτιν ἄϊον*, nisi quis *ἔκλυον* propius ad literarum ductum putat accedere, coll. Helen. 1211; *φάτιν τιν' οἴκοθεν κλύουσα*. Lego igitur:

ἆρ' ἔτυμον φάτιν ἄϊον γάμοις
Αἴολον εὐνάζειν τέκνα φίλτατα.

Chorus hac interrogatione parodum videtur ordiri, postquam Nutrtx (cf. Hartung. Eur. rest. I. p. 255.) prologum dixit, et quia Aeolus nondum ipse aperuit consilium filios filiasque matrimonio inter se conjungendi, illa interrogatio de eo ut absente recte se habere et accusativus cum infinitivo confirmari videtur.

XI. Quae servavit Stobaeus Flor. 114, 8: *οἴμοι, τις ἀλγεῖν οὐκ ἐπίσταται κακοῖς; τίς ἂν κλύων τῶνδ' οὐκ ἂν ἐκβάλοι δάκρυ;* (N. 37.) ita sunt comparata, ut statuentum sit, aut inter hos versus nonnulla excidisse, aut priorem versum correctione egere. Qualis enim haec est sententia: Quis dolere nescit ob mala, nisi additur, quae quis doleat mala? Suspicor *οἴμοι* extra versus vincula positum expulisse pronomen demonstrativum, quo recepto ei vita et vigor redit, in altero autem versu oratio ad majus apparet assurgens: *οἴμοι· τούτοις τίς ἀλγεῖν οὐκ ἐπίσταται κακοῖς;* Et cum *κλύων* et verborum nexus et collocatio voce efferendum esse indicet, vertendum est: Vae! quis haec mala dolere nescit? Quis vel auditis iis non fundat lacrimas?

XII. In communi sententia a Stobaeo Flor. 104, 10. ex Aeolo petita: *ἀεὶ τὸ μὲν ζῇ, τὸ δὲ μεθίσταται κακὸν, τὸ δ' ἐκπέφηνεν αὐτίκ' ἐξ ἀρχῆς νέον* (N. 41.) est *ἐκπέφηνεν* Musgravii conjectura pro vulg. *τὸ δ' οὐκ ἔφηνεν*, quod in Cod. Par. B scriptum est *τὸ δ' ἐξέφηνεν*. Nihil

*) Numeri sunt Wagneriani Euripideis fragmentis in margine appositi.

est in Codicis scriptura mutandum, si intransitiva vis verbi *φαίνειν* potest demonstrari. Quam in his locis inesse pro certo dixerim: *ἀλλ' οἵδε δόμων ὑπὲρ ἀκροτάτων φαίνουσί τινες δαίμονες* Elect. 1234. ubi v. Seidler. *Αὖ' οἶσθ' οὕνεχ' οἱ μὲν εὐγενεῖς βροτῶν πένητες ὄντες οὐδὲν ἐμφαίνουσ' ἔτι* Danaes fragm. ap. Stob. Flor. 91, 23. quod Flor. 92, 6. repetitum est, ubi Par. A habet *ἀναφαίνουσ'*. Nam quae his opposita, mox sequuntur: *οἱ δ' οὐδὲν ἦσαν πρόσθεν, ὄλβιοι δὲ νῦν, δόξαν φέροντες τοῦ νομίσματος χάριν* haec, satis demonstrant, poetam supra non de magnis facinoribus, quibus homines egestate circumventi impares sint patrandis, sed de vana paupertatis et opulentiae existimatione loqui. Sensus igitur non est: facinora non edunt, sed manifesto nihil sunt. Succurrit Hesychius, qui *ἀναφῆναι ἀναφανῆναι* notavit, cujus auctoritate usi Schweighäuserus et Bährius Herodot. 1, 165. scripserunt: *μὴ πρὶν ἐς Φωκαίην ἐλθεῖν, πρὶν ἢ τὸν μύδρον τοῦτον* (in profundum maris demissum) *ἀναφῆναι.* Nolo comparare Soph. Ant. 1078. *φανεῖ γάρ, οὐ μακροῦ χρόνου τριβή, ἀνδρῶν γυναικῶν σοῖς δόμοις κωκύματα,* quorum verborum conformatio mutata interpunctione mutatur, neque Aesch. Agam. 101. *ἐκ θυσιῶν ἀγανὰ φαίνουσ' ἐλπίς,* ubi Ahrensius rectissime emendavit *ἃς ἀναφαίνεις,* neque Soph. Elect. 1359. *πῶς οὕτω πάλαι ξυνών μ' ἔληθες οὐδ' ἔφαινες,* ubi ipsius sententiae ratio Scholiastam recte intellexisse *σεαυτὸν* docet. Quod si exempla supra collata ostendunt, verbo *φαίνειν* non defuisse intransitivam significationem eamque cum maxime ab ipso Euripide argui, superfluum est addere causas, propter quas perfectum *ἐκπέφηνεν* i. e. statim apparent quam aoristus, quem consuetudinis vel gnomicum dicunt, huic loco minus sit aptum. Neque quisquam opinor provocabit ad Plat. Protag. p. 328. B. *ἐπειδὰν γάρ τις παρ' ἐμοῦ μάθῃ, ἐὰν μὲν βούληται, ἀποδέδωκεν ὃ ἐγὼ πράττομαι ἀργύριον· ἐὰν δὲ μή, ἐλθὼν εἰς ἱερὸν ὀμόσας ὅσου ἂν φῇ ἄξια εἶναι τὰ μαθήματα, τοσοῦτον κατέθηκεν,* vel Med. 293. *οὐ νῦν με πρῶτον ἀλλὰ πολλάκις, Κρέον, ἔβλαψε δόξα μεγάλα τ' εἴργασται κακά,* quorum locorum ratio est diversa.

XIII. In fragmento chori ex Alexandro quod est apud Stob. Floril. 86, 2. primum dicitur, inanem esse nobilis generis laudem; tum pergitur:

τὸ γὰρ πάλαι
καὶ πρῶτον, ὅτ' ἐγενόμεθα, διὰ δ' ἔκρινεν
ἁ τεκοῦσα γᾶ βροτούς, ὁμοίαν
χθὼν ἅπασιν ἐξεπαίδευσεν
ὄψιν, ἴδιον οὐδὲν ἔχομεν. (N. 60.)

Versus qui deinde sequuntur docent lege discerni nobilitatem et ignobilitatem, prudentiam esse veram nobilitatem dei non divitiarum munus. Ab his manifestum est discordare verba quae praeposita sunt graeca, ut quae almam matrem fingant discrimen fecisse inter homines, quos eadem facie ornaverit. Deinde verborum *διὰ δ' ἔκρινεν-βροτοὺς* ea vis et ratio est, ut non in protasi, sed in apodosi videantur collocanda esse. *Δὲ* autem post *γὰρ* ferri non potest. Scribo igitur:

τὸ γὰρ πάλαι
καὶ πρῶτον ὡς ἐγενόμεθ', οὐκ ἔκρινεν

ἁ τεκῦσα γᾶ βροτὐς. ῾Ομοίαν.
χϑὼν etc.

O῞τ᾽ metri causa mutavi in ὡς. Ceterum non tacendum est, jam Bothium Eur. fabb. fragg. p. 23. labem hujus fragmenti animadvertisse.

XIV. Cram. Anecd. Gr. Ox. vol. 3. p. 194, 1. Δηλοῖ καὶ τό αἷμα πολλάκις καὶ τὸν φόνον αὐτόν. Τοιῦτον δέ τι δοκεῖ τὸ παρ᾽ Εὐριπίδῃ ἐν τῷ διὰ Ψωφῖδος Ἀλκμαίωνι· Αἷμα γὰρ σὸν μήτηρ ἀπενίψατο. Τὐτεστι· καϑάρσει τινὶ τὸν τῆς μητροκτονίας ἀπενίψατο μολυσμόν. Δηλοῖ μὲν οὖν τὸ αἷμα τὸν φόνον. (Nro. 72.) Verba Euripidis a VV. DD. sunt ita emendata: αἷμα γὰρ τὸ μητέρος ἀπενίψατο vel αἷμα γὰρ σῆς μητρὸς ἀπενίψατο. Quae conjecturae quamvis habeant, quo satis probandae videantur esse, tamen non vereor ne actum agam hauc proponens emendationem: αἷμα γὰρ σὸν μητρὸς ...... ἀπενίψατο. Cf. si tanti est, Jntt, ad Phoen. 30.

XV. Versus, qui sunt apud Stob. Ecl. phys. 1, 6, 22 p. 166. Heer. Τὸ δαιμόνιον οὐχ ὁρᾷς, ὅπῃ μοῖρα (sic Codd. V, A, E.) διεξέρχεται, στρίφει δ᾽ ἄλλως ἄλλῳς εἰς ἁμέραν, (N. 124.) gravius affecti mihi videntur esse, quam ut persuadere mihi possim, nihil verborum Euripideorum excidisse. Non placere potest ὅπῃ μοῖρα διεξέρχεται, si non adjicitur, cujus sors sit intelligenda, eademque sententia tam late patet, ut eam circumscribi certioribus verbis necessarium sit, praesertim cum ea quae sequuntur, modum, quo sors perficiatur, non ὅπῃ μοῖρα διεξερχεται, patefaciant. Licebit igitur locum non solum emendare, sed etiam quantum fieri potest ex ratione totius sententiae complere. Ceterum praemoneo conjecturam ὅπῃ μοίρας a Grotio propositam probari non posse, quia ὅπῃ cum genit. conjuncto meliorum Codd. auctoritas Heracl. 19. 46. Aesch. Prom. 63. al. adversatur; cf. Ellend. Lex. Soph. v. ὅπῃ et πῇ. Ita vero si non verborum, tamen sententiae integritas restitui posse mihi videtur:

τὸ δαιμόνιον οὐχ ὁρᾷς τοῖς βροτοῖς
κραῖνον ὅπᾳ μοῖραν διεξέρχεται,
στρέφει δ᾽ ἄλλοσ᾽ ἄλλῳς εἰς ἁμέραν.

Τὸ δαιμόνιον διεξέρχεται κραῖνον μοῖραν defendo coll. Helen. 1318 Pfl. ἄλλαν μοῖραν ἔκραινε sc. Ζεύς, ut supplevit Dindorfius.

XVI. Recte a Wagnero observatum esse arbitror Aristophanem Thesmoph. 1110. ὦ πάρϑεν᾽, οἰκτείρω σὲ κεκραμένην ἰδὼν (N. 129.) posteriorem versus qui est ex Andromeda partem paullulum in ridiculum detorsisse. Illud κεκραμένην enim noli comparare cum Hippol. 1252. οὐδ᾽ εἰ γυναικῶν πᾶν κρεμασϑείη γένος, ubi κρεμασϑῆναι ut alias suspendium significat, vel Arist. Thesmoph. 1052. οὐ γὰρ ἔτ᾽ ἀϑάνατον φλόγα λεύσσειν ἐστὶν ἐμοὶ φίλον, ὡς ἐκρεμάσϑην, λαιμότμητ᾽ ἄχη δαιμόνων etc. ubi fortasse ὡς ἐκρεμάσϑην non minus alineum vel ex alio Andromedae loco sumtum est, quam quae sequuntur λαιμότμητ᾽ ἄχη δαιμόνων, quae verba describunt Gorgonem, cujus caput gestavit Perseus. Hic quidem nescio an supponendum sit σ᾽ ἐσφιγμένην, coll. Aesch. Prom. 58. ἄρασσε μᾶλλον, σφίγγε sc. Prometheum qui aeneis catenis saxo alligatur. Perseus conspecta Andromeda ap Ovid. Met. 4, 677: O, dixit, non

istis digna catenis! Tzetzes ad Lycophron. 836: *Χρησμῷ δὲ ὁ Κηφεὺς τὴν ἑαυτȣ͂ θυγατέρα τὴν Ἀνδρομέδαν πρὸς βορὰν ἔδωκεν ἐκριφῆναι τῷ κήτει — δεσμοῖς σιδηροῖς δεσμȣ͂σιν αὐτὴν παρὰ πέτρας τινάς.* Simili modo, quo joco ornaret orationem Aristophanes Thesmoph. 1033. dixit *κήτει βορὰ Γλαυκέτῃ πρόκειμαι,* ubi heluonis cujusdam nomen submisit in locum epitheti, quod, sive *γλαυκῷ* sive vocabulum fuit cum *γαυκὸς* compositum vel inde derivatum, additum erat nomini *κήτει.* Idem a comico factum est v. 1031: *ψήφων κημὸν,* ubi abstinendum videtur a divinatione, quid ex Euripideis traduxerit ille; et v. 1040: *φῶτα λιτομέναν,* quod apud tragicum *φῶς λισσομέναν* i. e. vitam precantem scriptum fuisse suspicor.

XVII. Verba ex Antigona apud Stob. Flor. 49, 5. servata:

Οὔτ' εἰκὸς ἄρχειν, οὔτ' ἐχρῆν εἶναι νόμον·
τύραννον εἶναι μωρία δὲ καὶ θέλειν,
ὃς τῶν ὁμοίων βȣ́λεται κρατεῖν μόνος, (N. 171.)

quae sunt ex oratione aliqua sive Antigonae sive Haemonis, atrocem illam Creontis legem damnantis, videntur facillimo modo emendari posse, scriptura Codd. non mutata, sed duobus tantum vocabulis transpositis. Par. A. et B. habent *θεῖναι,* quod suo loco repono: *θεῖναι τύραννον μωρία δὲ καὶ θέλειν.* Quo facto sententiae etiam illa oratoria vis accedit, quae est in quaesita singulorum verborum collocatione.

XVIII. Stob. Flor. 74, 18: *Οὐ σωφρονίζειν ἔμαθον, αἰδεῖσθαι δὲ χρὴ,*
γύναι, τὸ λίαν καὶ φυλάσσεσθαι φθόνον. (N. 192.)

Initium hujus distichi Polyphemo, non Zetho vel alia persona, quae in Antiopa videntur partes habuisse, est dignum. Uno vocabulo emendato *ἔμαθες* haec verba conjicio esse Zethi, qui, postquam Antiopa se cum Jove rem habuisse professa est, fidem ei denegat et mores parum probos immodestiamque exprobrat. Cf. Hartung. Eur. rest. 2. p. 242 et Wagner. ad Antiop. fragm. 12.

XIX. Stob. Eclog. phys. 1, 4, 25: *Δίκα τοι Δίκα χρόνιος· ἀλλ' ὅμως*
ἔλαθεν ὑποπεσȣ͂σ', ὅταν ἔχῃ
τιν' ἀσεβῆ βροτῶν. (N. 220.)

Ἔχῃ neque usui tragico neque sensui aptum est emendandum *ἕλῃ* coll. Eur. Heracl. 941. *εἷλέ σ' ἡ Δίκη χρόνῳ.* Soph. Elect. 928: *ἡ γὰρ Δίκη νιν εἷλεν,* quod apud Stob. Eclog. phys. 1, 4, 21 fortius dictum est *ἡ Δίκη - σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ στείχȣσα μάρψει τȣ̀ς κακȣ̀ς ὅταν τύχῃ.*

XX. Stob. Flor. 85, 2: *Τοιάν δε χρὴ γυναικὶ πρόσπολον ἐᾶν,*
ἥτις τὸ μὲν δίκαιον οὐ σιγήσεται,
τά τ' αἰσχρὰ μισεῖ καὶ κατ' ὀφθαλμȣ̀ς ἔχει. (N. 408.)

Primus versus ultima sede requirit verbum, quod a consonante incipit, et hoc invenisse mihi videor conjiciens *πέλειν,* in cujus locum glossa *εἶναι,* tum *ἐᾶν* successit.

XXI. In verbis, quae apud Schol. ad Aristot. Ethic. Nicom. 5, 1. ex Melanippa sapiente excerpta leguntur, *δικαιοσύνης τὸ χρύσεον πρόσωπον* (N. 489) vel ut in altero Cod. Par. scriptum est, *δικαιοσύνης τηλαυγὲς χρυσοῦν πρόσωπον* leve mendnm inest per incuriam fortasse Scholiastae, quem memoriter haec citasse jam alii viderunt, illatum. Si enim Meinekius Exercit. Philol. in Athen. 2. p. 24. recte ut probabile est ex ipsius Aristotelis l. c. Euripidi vindicavit etiam haec: *οὔθ' ἕσπερος οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαστὸς*, tanto magis patescit, non de virtute sed de dea Justitia ista verba esse intelligenda. Et cum apud tragicos ne legatur quidem vocabulum *δικαιοσύνη*, corrigendum est *Δίκης*.

XXII. Stob. Flor. 67, 1. ex Oedipo:

Μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα κ' γονή.
ἴσην γὰρ ἀνδρὶ συμφορὰν εἶναι λέγω
τέκνων θ' ἁμαρτεῖν καὶ πάτρας καὶ χρημάτων
ἀλόχυ τε κεδνῆς· ὡς μόνον τῶν χρημάτων
ἡ κρεῖσσόν ἐστι τἀνδρὶ, σώφρον' ἂν λάβῃ. (N. 548.)

Postremi versus et sensu et forma laborant. Madvigius in Schneidew. Philol. 1, p. 674. *ἡ* bene emendavit *τί*. Sed etiam *μόνον τῶν χρημάτων* absurdum est, et suspicor *μόνον* ex interpretatione additum aliud vocabulum expulisse, quod *ἁπαντων* fuisse mihi est verisimillimum. Postremo pro *ἂν λάβῃ*, quod cum primum *σώφρονα*, tum *σώφρον' ἂν* male scriberetur, simul per malam correctionem inductum videtur, conjicio *λαβεῖν*, ut sententia superioribus aptissima his verbis sit concepta: *ὡς ἁπάντων χρημάτων τί κρεῖσσόν ἐστι τἀνδρὶ σώφρον' ἢ λαβεῖν*; Fortasse quis *ἂν* v. *ἢ 'ν λάβῃ* pro *ἢ ἂν* coll. Ahrens. de Crasi et Aphaeresi p. 12. ubi Aesch. Sept. 544. *ἂν* pro *ἢ ἂν* et p. 9. ubi Eur. Iph. A. 1228. *δᾆρα* pro *δὴ ἆρα* legi jubet, malit scribere: cum quo ego non pugnabo.

XXIII. Versum ex Telepho qui legitur apud Eustath ad Il. *π'*, p. 1084, 2. ad Od. *α'*, p. 1397, 20 et in Arist. Ran. 1400. *βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέτταρα*, (N. 692.) Aristarchus Euripidi abjudicavit, alii grammatici ex alia fabula excerptum esse dixerunt. Photius autem et Suidas v. *τρὶς ἕξ* non solum illum citant versum, sed subjiciunt etiam haec: *τριῶν γὰρ ὄντων τῶν ἀναῤῥιπτυμένων βόλων δύο μὲν κενὰς αὐτόν φησι* (Euripides) *βάλλειν* (scribendum est *βαλεῖν*), *ἕνα δὲ τὸν τέταρτον.* Blomfieldius quidem ad Aesch. Agam. 32. Gloss. verbis *τριῶν — βόλων* adscripsit: Nota Grammatici senarium, recte, si Grammaticus adjecto *βόλων* versus numeros voluit complere.

Poetam crediderim lusus rationem voluisse curatius describere, cum Graeci non solum tribus, sed etiam quatuor, quinque talis luderent. Nullo vero negotio versus ita possunt constitui:

τριῶν γὰρ ὄντων τῶν ἀναῤῥιπτυμένων
βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρας,
δύο μὲν κενὰς, τὸν δ' ἕνα βαλὼν νικηφόρον.

Denique de auctore lubet conjecturam facere, quem veteres Grammatici alius Euripidem esse aiebat, alius negabat; nec magis fabula certa est cujus hoc est fragmentum, quam Te-

lephum, Philoctetam, Iphigeniam in Aulide esse tradiderunt. Inde quod Voemelins Comm. de Euripide Casu Talorum p. 6. suspicatus est, jactum quendam talorum maximum nomen invenisse ab Euripide juniore, sive fratris Euripidis sive ipsius tragici filio, Aristarchium credo vere negasse, ab Euripide v. 2. quem solum Eustathius citavit, esse scriptum, totum vero fragmentum esse Euripidis junioris, qui talorum lusu in aliqua tragoedia fortasse ita est abusus, ut casui cuidam talorum aequales ejus nomen dederint.

XXIV. Aelian. Hist. Anim. 7, 391. ex Hypsipyle: *Ἦλθε δ' ἐπὶ χρυσόκερων ἔλαφον μεγάλων ἄθλων ἕνα δεινὸν ὑποστὰς κατ' ἐναύλων ὀρέων ἀβάτους ἐπί τε λειμῶνας ποίμνιάτ' ἄλση.* (N. 737.) Anapaesti videntur sic restituendi esse:

— *ἦλθεν δ'*
ἐπὶ χρυσόκερων ἔλαφον, μεγάλων
ἄθλων ἕν' ὑποστὰς δεινότατον
κατ' ἐναύλους τοὺς ὀρέων ἀβάτους
ἐπ' ἀκηράτους
λειμῶνας ἀποίμνια τ' ἄλση.

In his *ἦλθεν δ'* ex Matthiaei, *δεινότατον*, necessarium ni fallor propter adjectum *ἕνα*, ex mea conjectura scripsi. *Ἐναύλους τούς* emendavit Elmsleius, quanquam *κατ' ἐναύλων τῶν ὀρέων* servari potest, ut sit d e c u r s u p e r m o n t i u m c o n v a l l e s. *Λειμῶνας* non magis credo destitutum fuisse epitheto, quam *ἄλση*, cui appositum *ἀποίμνια* aequo jure se fortasse poterit tueri atque adjectivum *ποίμνια*, quae forma quod sciam alias non legitur.

XXV. In chorico carmine, quod ex Phaethonte in Cod. Par. 107. mutilum extat (N. 766.), Bekkerus legere sibi visus est v. 37: *ἀνὰ δ' ἱστί.* Quarum literarum ductus si vere perspexit, quod cur quis dubitet nulla est causa, versui 45. antistrophico: *ἐμὲ καὶ τὸ δίκαιον ἄγει χαίρονθ' ὑμνεῖν*, ut Cod. scripturam *ΕΑΓΕΙΚΑΙΡΩΝ* vel ... *ΚΑΙΡΩC* legendum esse suspicor, facile opponi potest strophicus integer: *ἀνὰ δ' ἱστία λευκὰ πετάννυται*, coll. Iph. T. 1134 sq. Helen. 1479. 1555. Hom. Il. 1, 480. al.

XXVI. Stob. Flor. 51, 4. ex Archelao, et Orion. Anthol. p. 58.
Νεανίαν γὰρ ἄνδρα χρὴ τολμᾶν ἀεί.
οὐδεὶς γὰρ ὢν ῥᾴθυμος εὐκλεὴς ἀνήρ.
ἀλλ' οἱ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐδοξίαν. (N. 233.)
et Stob. 51, 14. sine lemmate. *Νεανίας γὰρ ὅστις ὢν Ἄρη στυγεῖ,*
κόμη μόνον καὶ σάρκες, ἔργα δ' οὐδαμοῦ.
ὁρᾶς τὸν εὐτράπεζον ὡς ἡδὺς βίος,
ὅτ' ὄλβος ἔξωθέν τίς ἐστι πραγμάτων·
ἀλλ' οὐκ ἔνεστι στέφανος οὐδ' εὐανδρία,
εἰ μή τι καὶ τολμῶσι κινδύνου μέτα.
οἱ γὰρ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐανδρίαν.

ἡ δ' εὐλάβεια σκότον ἔχει καθ' Ἑλλάδα
τὸ διαβιῶναι μόνον ἀεὶ θηρωμένη. (N. 875).

Posterius fragmentum ad eundem Archelaum pertinere indicium est v. 3. qui post v. 10. iisdem paene verbis iterum legitur, et utriusque fragmenti argumentum, quod aperte in eadem re versatur. Scripturae varietas potior haec est: v. 3. Voss. et Orio εὐανδρίαν. v. 4. ὢν omittunt Parr. A et B. στυγῇ Voss. et Trinc. Male v. 11. post v. 2. adjectum esse e scriptura Voss. εὐανδρίαν, tum e verbis οἱ γὰρ πόνοι causa non obscura in ἀλλ' οἱ πόνοι mutatis conjicio. Scilicet nexus sententiarum illic non tulit γάρ. Quum v. 3. ejecto quae sequuntur cum superioribus continua oratione videantur conjuncta esse, v. 4. pro νεανίας γὰρ malim νεανίας ἄρ' et στυγῇ pro στυγεῖ. Valckenaerius v. 7. conjecit ἔξωθ' εἴ τις; equidem suspicor τις ex ὡς natum esse et repono ὡς ἔξωθέν ἐστι πραγμάτων i. e. opulenta vita quam sit expers negotiorum. Pro τὴν εὐανδρίαν v. 11. VV. DD. e v. 3. τὴν εὐδοξίαν scribendum censuerunt, quia τὴν εὐανδρίαν e v. 9. repetitum videtur, cf. Licym. fragm. 2. πόνος γὰρ ὥς λέγουσιν εὐκλείας πατήρ. Tamen nihil obstare puto, quominus explicetur laudem virtutis. Denique hos versus inter consiliarium regis (et Hartung. Eur. rest. 2. p. 561. et Wagner. ad fragm. 243.) vel ipsum regem et Archelaum distribuo, quem ille sive amicus regis sive rex fortasse falsis promissis a suscipiendo imperio et bello deducere studet. Archelai sunt v. 6 et 7.